

rior videtur, et est valde communis inter Thomistas. Pro majori autem ejus explicatione ponimus hanc conclusionem: Ut omissio non solum sit voluntaria, sed etiam imputabilis ad culpam, sine dubio requiritur præceptum: ut autem solum sit voluntaria, non solum physice, sed etiam moraliter, non requiritur præceptum: ipse autem effectus ex omissione secutus, non est voluntarius, nisi stante præcepto. Tres partes habet hæc conclusio. Prima, de omissione, non solum, ut voluntaria, sed etiam ut imputabili ad culpam: secunda, de ipsa ratione voluntarii præcise, et secundum se, et ut potest esse bona moraliter: tertia, de ipso effectu ad omissionem consecuto. Hæc tertia pars in sequenti dubio, et in solutionibus argumentorum declarabitur. Prima vero pars a nemine negatur, quia constat, quod non imputatur ad culpam, nisi quod est transgressio, seu prævaricatio, ubi autem non est lex, nec prævaricatio. Si autem non est prævaricatio, neque transgressio legis: qui autem non transgreditur, non culpatur, sed laudatur juxta illud Ecclesiastici: *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala, et non fecit.*

XXXII. Secunda ergo pars conclusionis probanda nobis est, loquendo, non solum de voluntario physico, sed etiam de morali, contra aliquos, qui putant, sine præcepto posse dari voluntarium physicum, id est, ut causatum a voluntate: non morale, id est, ut subjectum regulis rationis. Falluntur tamen, quia nullum voluntarium est, quod non subjiciatur regulis rationis, quia ratio est mensura ita universalis, sicut ipsamet voluntas, nihil enim est volitum, quin præcognitum, et ita quidquid est a voluntate dirigi potest a ratione, et ejus mensuræ subjici, atque ab ejus regulis dirigi, li-

cet non semper regulis prohibentibus aut stricte obligantibus, ut subjiciatur; sufficit quod consulentibus, vel permittentibus.

XXXIII. Fundamentum hujus partis reducitur ad duplex caput, quod inter referendum hanc sententiam est insinuatum, et a posteriori, et priori. A posteriori, quia multæ omissiones sunt voluntariæ, etiam nullo stante præcepto, sed solum consilio, vel etiam remoto consilio, solum stante permisso, suntque non solum voluntariæ, sed etiam morales, verbi gratia multæ omissiones, quæ pertinent ad mortificationem, nec cadunt sub ullo præcepto, vel obligatione, sunt voluntariæ, quia meritoria, verbi gratia, si quis omittit recreationem, qua posset licite uti, aut licitum ornatum corporis, aut privationem aliquorum delectabilium, vel commoditatem quibus posset licite uti, ut cum ingreditur religionem, in qua est usus talium mortificationum; et tamen non est necesse, quod istæ omissiones sint voluntariæ per volitionem directam illarum, sufficit quod indirecte, et consecutive, ut si quis occupatur studio, prædicatione, oratione eo tempore, et occasione, qua posset talibus commoditatibus frui. Similiter in exemplo supra posito, cum quis omittit sacrum in die profesto propter studium, vel aliam commoditatem, talis advertens esse horam audiendi missam, et eligens continuare studium, ex consequenti, et indirecte omittit missam voluntarie, quia sicut electio studii procedit a voluntate, immediate, et elicitive, ita consequitur ex eadem voluntate omissio missæ, quia talis privatio, seu omissio annexa est illi electioni, neque consequitur ex alia actione, quam ex illa voluntaria electione studii, cum advertentia omissionis. Nihil autem amplius requiritur ad rationem voluntarii in omissione,

quam quod procedat, seu consequatur ex voluntate, quæ est principium intrinsecum cum cognitione, et advertentia ipsius rei, vel objecti. Et tamen tunc non currit præceptum, quia ut supponimus, non est dies festus.

XXXIV. Ratio autem a priori est, quia stantibus principiis intrinsecis et essentialiter requisitis ad rationem voluntarii, oportet illud poni, sicut positus principiis essentialibus hominis, ponitur homo. Principia autem intrinseca voluntarii solum sunt cognitio objecti, et potentia voluntatis, a qua ut principio intrinseco procedit voluntarium; præceptum autem, seu obligatio est aliquid extrinsecum supponens ipsum voluntarium, tamquam materiam super quam cadit, quia solum est materia præcepti, aut legis, actus voluntarius; ergo posita voluntate, quæ potest omittere, et cognitione, seu advertentia illius ex parte intellectus, omissio redditur voluntaria, etiamsi non antecedit præceptum, quia præceptum non est causa ipsius voluntarii, sed est extrinsecum illi, habetque ipsum pro materia, super quam cadat, nec magis ponit omissionem in potestate voluntatis, nec addit majorem cognitionem ex parte intellectus, sed solum dat cognitionem, seu notitiam de obligatione faciendi, seu operandi. Aliud est autem cognitio obligationis, aliud cognitio ipsius omissionis: et hæc sola influit in omissionem, quia illa sola influit, quæ cognoscit, et proponit objectum voluntati, objectum autem est omissio, quam ex consequenti eligit voluntas; ergo sola cognitio omissionis influit in rationem voluntarii, non cognitio obligationis, quam tribuit præceptum, seu lex. Si autem præceptum subsequatur ad actum, seu rationem voluntarii, jam non constituit voluntarium, sed supponit.

XXXV. Sed objicies pro opposita sententia auctoritatem D. Thomæ in qua valde confidit Lorca, dicit enim D. Thomas in hac quæstione vi, articul. iii: « Quod semper omissio reducitur in agens, tamquam in causam, sed tunc solum, cum potest, et debet agere. » Sed ut omissio sit voluntaria necesse est quod reducatur in voluntatem, tamquam in causam; ergo secundum D. Thomam non datur voluntarium in omissione, nisi quando aliquis potest, et tenetur agere, quod non est sine præcepto.

XXXVI. Duplex solutio solet huic loco adhiberi. Prima, quod D. Thomas loquitur, non de ipsa omissione in se, sed de effectu secuto ad illam, ut patet in illis verbis, in eodem articulo tertio positus: « Non semper id quod sequitur ad defectum actionis reducitur, sicut in causam in agens, ex eo quod non agit, seu solum tunc cum potest, et debet agere. » Ubi per ly sequitur ad defectum actionis, manifeste intelligitur aliquid posterius omissione. Et hoc est ipse eventus secutus. Secunda solutio est, quod loquitur sanctus doctor de omissione in quantum culpabili, non ut voluntaria est præcise. Utraque tamen solutio insufficientis est. Prima quidem, quia S. Thomas statim se declaravit in calce corporis articuli dicens: « Quia igitur voluntas volendo, et agendo potest impedire hoc quod est non velle, et non agere, et aliquando debet, imputatur ei hoc quod est non velle, et non agere, quasi ab ea existens. » Ubi sanctus doctor loquitur non de ipso effectu subsecuto per omissionem, sed de ipso non velle, et non agere, et dicit quod hoc potest impedire voluntas volendo, et agendo: ergo ipsa omissio, quæ est non velle, et non agere, et non solum eventus subsecutus, tunc solum est voluntaria, cum

potest, et debet agere; debet autem per præceptum, seu obligationem. Secunda vero solutio ex eo repellitur, quia D. Thomas non solum loquitur de omissione, ut imputabili, sed ut a voluntate existit, et ut reducitur ad ipsam causam, ut patet in prioribus verbis: « Non semper reducitur sicut in causam in agens, sed tunc solum cum potest, et debet. » Et in posterioribus cum dicit: « Non velle, et non agere imputatur ei, quasi ab eo existens: » sed existere a voluntate, et reduci in ipsam ut in causam, non solum pertinet ad imputabilitatem, sed ad ipsam formalem rationem voluntarii, ergo ad talem rationem voluntarii requirit D. Thomas obligationem, et debitum: præterquam quod D. Thomas in præsentis solum agit de voluntario in communi abstrahendo a ratione boni, vel mali: de hoc enim infra acturus est quæstione XVIII, ergo ejus solutio sub ratione voluntarii debet procedere, sub qua loquitur in præsentis, non ad rationem imputabilis debet divertere.

XXXVII. Respondetur ergo, nomen D. Thomæ nullo modo esse, quod ad hoc, ut ommissio sit voluntaria, requiratur obligatio sistendo præcise in formalitate voluntarii, sed solum intendit probare, quod potest inveniri aliquando voluntarium absque actu, tam interno, quam externo, quantum est ex specie sua. Ad hoc autem probandum facit hanc consequentiam, quia aliquando imputatur effectus omissionis ipsi voluntati omittenti, etiamsi nihil agat; ergo aliquando erit voluntaria ipsa ommissio, et eventus inde secutus absque omni actu, quasi arguens a posteriori, et ab eo, quod nobis notius est, scilicet ab imputabilitate eventus, et omissionis ad rationem voluntarii. Bene enim sequitur: hoc est imputabile, ergo hoc est vo-

luntarium (quasi ab inferiori ad superius affirmative) ergo si aliquando est imputabile sine actu, aliquando erit voluntarium sine actu. Ad hanc autem consequentiam supponit D. Thomas, quod non semper eventus secutus ad omissionem reducitur in agens modo imputabili, ex eo præcise, quod causa non agit, requiritur enim ulterius quod possit, et debeat, ut imputetur illi, ut patet ex subjuncta probatione, si gubernator non posset, vel non esset ei commissa gubernatio navis non illi imputaretur submersio. Loquitur ergo de reductione in voluntatem non quomodocumque, sed modo imputabili. Ex hoc autem format D. Thomas discursum ad probandum, quod potest dari voluntarium sine actu, quia ipsum non velle, et non agere, sicut et effectus, seu eventus inde secutus aliquando imputantur, etiamsi non habeant actum; ergo aliquando sunt voluntaria sine actu, bene enim sequitur, quod si aliquid est imputabile, est voluntarium.

XXXVIII. Ex hoc autem solvuntur instantiæ allatæ contra utramque solutionem, quæ recta est. Ad primam dicitur, quod D. Thomas locutus est tam de effectu subsequuto, quam de omissione, ad quam sequitur: nam in prioribus verbis locutus est de effectu secuto ad omissionem, dicens, quod non semper reducitur talis effectus in voluntatem modo imputabili, nisi quando voluntas potest, et tenetur aliquo præcepto, seu obligatione. Et eodem modo ommissio ipsa non reducitur imputabiliter in voluntatem, nisi detur præceptum. In verbis autem posterioribus, quæ referuntur in argumento, loquitur de ipsa omissione, quam dicit imputari voluntati, seu reduci ad ipsam modo imputabili, quando debet, seu tenetur. Ex quo recte infert, aliquando dari voluntarium sine actu, quia aliquando im-

putatur aliquid sine actu, scilicet ipsa ommissio, et effectus ex ea secutus: semper enim est efficax consequentia; hoc est imputabile, ergo hoc est voluntarium. Non tamen dicit D. Thomas propositionem illam universalem, quod nunquam invenietur voluntarium in omissione absque præcepto; vel quod solum datur voluntarium quando tenetur, seu obligatur aliquis ex præcepto. Solum enim intendebat probare D. Thomas in præsentis propositionem particularem, scilicet, quod potest dari aliquando voluntarium sine omni actu, ad quod sufficiebat una singularis, quæ a nemine negari posset, scilicet quod aliqua ommissio, et effectus ex ea secutus est imputabilis, etiamsi careat omni actu, videlicet quando tenetur, et non facit; ergo datur aliquod voluntarium sine actu, videlicet illud, quod sine actu est imputabile; quod vero solum sit voluntaria ommissio, quando adest præceptum, seu obligatio, et non aliter, nec alio modo, D. Thomas nusquam dixit.

XXXIX. Ad secundam instantiam dicitur, quod D. Thomas utroque modo locutus est de omissione, et ut voluntaria, ostendendo, quod aliquando est voluntaria sine actu, quia aliquando est imputabilis sine actu, scilicet quando tenetur, et non facit: non tamen dixit illam propositionem universalem, quod ommissio non est voluntaria, nisi quando adest obligatio. Et quando instatur, quod D. Thomas non agit hic de voluntario, ut imputabili ad bonum, et malum, sed secundum, se, respondetur verum esse: sed tamen D. Thomas ex imputabilitate, de qua acturus est infra, probat quasi ex effectu quodam magis noto, et manifesto id quod est latentius, et minus notum, scilicet, quod possit dari voluntarium sine omni actu,

ex eo quod invenitur aliquando ommissio imputari sine aliquo actu, ut quando tenetur, et non facit, neque vult, ergo etiam sine tali actu erit voluntaria.

XL. Secundo arguitur: Quia effectus secutus ex omissione, non est voluntarius omittenti, nisi intercedat aliquod præceptum, et obligatio; ergo nec ipsa ommissio. Consequentia patet, quia non potest assignari differentia inter unum, et alterum, si quidem utrumque est voluntarium indirectum: et similiter effectus consecutus ex omissione, est necessario illi annexus, ergo quod requiritur ad voluntarium unius requiretur ad voluntarium alterius. Antecedens vero in sequenti dubio tribus exemplis declarabitur. Ratio vero est, quia remoto præcepto illa ommissio non influit in talem effectum, neque physice, quia ommissio est privatio, et talis non potest esse causa physica effectus positivi: neque moraliter, quia ille effectus secutus non pertinet ad omittentem, quia non tenetur providere de illo: ergo solum sequitur per accidens, et non ex influxu voluntatis in ipsum, ergo non est voluntarius.

XLI. Respondetur quidquid sit de antecedenti, de quo in sequenti dubio, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia ipsa ommissio in se, cum sit immediate privatio actus vel volitionis, ita est per se ipsam in potestate omittentis, sicut est ipsemet actus, quia potest facere, et non facere illum. Effectus autem consecutus ex omissione, non sequitur per se immediate ad illam, sed per accidens, id est, per aliud: debet enim intervenire aliqua causa, quæ effectum illum causet, posita omissione actus, quo posset impediri, quia ommissio sola non potest influere in illum effectum physice, et positive, cum sit negatio, verbi gratia, si quis non succurrit

rixantibus, et sequitur homicidium, talis negatio succurrendi, non influit per se neque causat mortem, sed requiritur alia causa, scilicet ille qui mittit gladium in corpus alterius; et qui non succurrit navi periclitanti non submergit illam, sed tempestas. Quare cum omissio actus non influat physice in illum effectum, neque voluntas omittentis aliquem alium actum habeat, quo influat in talem effectum, si quidem solum omittit illum, oportet quod ut talis effectus dicatur voluntarius, habeat a voluntate aliquem influxum moralem, si quidem physicum non habet, et in tantum aliquid dicitur voluntarium in quantum procedit a voluntate, sive per influentiam physicam, sive moralem. Remota autem influentia physica a voluntate in illum effectum, quia non datur, oportet assignare moralem. Moralis autem influxus a voluntate in effectum, quando talis effectus ab illa non procedit, regulatur penes obligationem ad debitum, quia scilicet tenebatur, et debebat impedire illum effectum, et omisit, illud enim debitum impediendi reputatur moraliter pro influxu, quia non impedire causam operativam damni, quando quis tenetur, facit quod mediante illo modo debito damnum illud ad voluntatem pertineat, quæ illud evitare debebat, et dum non implevit debitum, moraliter præsumitur voluisse effectum, et præsumptio volitionis, moraliter reputatur pro volitione, et sic est influxus moralis voluntatis: ipsa vero omissio in se nullo istorum eget, ut causetur a voluntate, et consequenter, ut sit voluntaria, quia immediate est in potestate voluntatis agere vel cessare ab actu, nec ad hoc indiget obligatione et influxu morali, quia physice cessare potest ab actu, sicut et physice operari, dummodo adsit advertentia

in ratione. Ubi autem est physica influentia, vel physica cessatio influendi, non est necesse recurrere ad influentiam moralem, ut amplius sequenti dubio explicabitur.

XLII. Ultimo arguitur: Nam omissio non causatur physice a voluntate, nisi per accidens, seu per aliud, et similiter omissio sine præcepto, non est imputabilis ad bonum, vel malum magis, quam effectus secutus; ergo sine præcepto non erit voluntaria. Consequentia patet, quia desunt illi omnes conditiones, vel signa voluntarii, scilicet esse a voluntate influxive, et per se, vel habere imputabilitatem ad bonum, vel malum. Antecedens autem probatur; tum, quia illa omissio non causatur immediate a voluntate, sed ab actu, qui sit causa, vel occasio ejus in exercitio, ut dictum est; ergo est a voluntate, per accidens seu per aliud. Quod si hoc sufficit, ut omissio aliqua sit voluntaria sine præcepto, quotiescumque elicitur aliquis actus, dabuntur infinitæ omissiones voluntariæ, quia hoc ipso quod illum actum elicio, relinquo omnes alios, quos possem nunc elicere, qui sunt infiniti in individuo, et divisive. Ergo ne dentur infinitæ istæ omissiones voluntariæ, oportet restringi ad illas, quæ cadunt sub præcepto; tum etiam quia ideo diximus effectum secutum ex omissione non esse voluntarium, nisi interveniente præcepto, quia omissio non est causa per se illius, sed per accidens, sed similiter ipsa omissio non sequitur ex voluntate, nisi per accidens, seu per aliud, id est, per alium actum, qui est causa, vel occasio omissionis: ergo eadem ratione non erit voluntaria, nisi interveniente præcepto, seu obligatione. Nec minus connectitur effectus secutus cum omissione, verbi gratia mors infirmi cum omissione medicinæ, quam ipsamet omissio cum

actu, qui est causa illius, verbi gratia omissio missæ cum actu ludendi.

XLIII. Confirmatur, quia remoto præcepto omissio non reddit involuntarium oppositum actum, ergo neque ipsa redditur voluntaria. Consequentia patet, quia non potest aliquid esse voluntarium, nisi oppositum ejus involuntarium reddatur, et a voluntate expellatur, nec enim potest duo opposita velle. Antecedens probatur, quia oppositus actus non expellitur physice, quia nunquam fuit in subjecto, ut expelleretur: nec moraliter, quia non est debitus, cum non detur obligatio vel præceptum de illo, ergo nullo modo redditur involuntarius.

XLIV. Denique confirmatur, quia sine præcepto talis omissio nec est bona, nec mala in exercitio, ergo neque voluntaria in exercitio. Consequentia patet, quia non datur voluntarium indifferens in individuo: ergo debet esse bonum vel malum. Antecedens probatur: illa omissio non est mala, quia non est contra præceptum, cum non detur; nec est bona, quia oppositum ejus potest esse bonum; ergo ipsa non est bona. Antecedens patet, quia omissio missæ quando non est in præcepto opponitur auditioni missæ, audire autem missam est bonum, etiam quando non est in præcepto; ergo omissio ejus non est bona.

XLV. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem fatemur, omissionem esse a voluntate mediante alio, scilicet mediante aliquo actu, qui per se, et immediate oritur a voluntate. Unde illud, mediante quo omissio consequitur, est in potestate voluntatis, scilicet ille actus ad quem divertit voluntas, et occupata circa illum, omittit alium. Unde mediate, et ex consequenti omissio est etiam per se a voluntate, sed per se mediate, non immediate

eo modo quo privatio resultare potest, et sequi ex aliquo positivo: at vero effectus, seu eventus exterior secutus ex omissione præter voluntatem, ex qua causatur omissio, requirit aliam causam exteriorem, quæ per se causet talem eventum, seu effectum exteriorem, et ista causa non semper est in potestate voluntatis, dum efficit talem effectum, licet sit in potestate ejus impedire ne fiat, quia omittit, et detinet se ne impediatur, et ne operetur. Et ideo talis effectus non oritur ex influxu physico voluntatis, nec ratione ejus voluntarius dici potest, sicut dicitur voluntarius ille actus, qui elicitur a voluntate, ex quo per se sequitur omissio, et ideo, ut talis eventus, seu effectus exterior reddatur voluntarius indirecte, oportet recurrere ad influxum moralem, qui est ipsa obligatio, seu debitum neglectum, et omissum, ratione cujus censetur influere, quia debet impedire.

XLVI. Nec in hoc sequitur, quod dentur infinitæ omissiones quando aliquis elicit unum actum, et omittit alios. Respondetur enim, quod illæ omissiones infinitæ sunt solum voluntariæ in potentia, et remote, non in actu, et proxime: poterat enim voluntas, sicut elicit istum actum numero, ita elicere alium, et alium divisive sine termino, si sibi proponeretur, et a voluntate non repelleretur; non tamen sunt voluntariæ in actu, nisi illæ omissiones, quas advertit, et cognoscit in actu.

XLVII. Ad secundam probationem respondetur, quod effectus secutus ad omissionem non est voluntarius sine præcepto, quia omissio est causa per accidens illius non quomodo-cumque, sed quia ille effectus dependet ab alia causa in quam nullo modo influit voluntas, nec mediate, neque immediate, sed solum non impedit causam sic influentem;